

Badische Landesbibliothek Karlsruhe


Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Everardi Wassenbergii Maroboduus in serenissimo & potentissimo Ludovico XIV. Galliarum Rege redivivus

Wassenberg, Eberhard

[S.l.], 1672

[urn:nbn:de:bsz:31-112719](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-112719)



Misc. 4^o

127

42 A 1932, 17

RH

[Mi
1/39

[Miscellanea. Bd 17]

RH
1 / 39

Ein Heft
SINCE
M.

LU D O
SELD

Wenn dasjenige
zwischen Franck
fälle
Aus dem Latein

10074

E
MA

In Sa
LUI

R
PRIN

SI
SU O

EVERARDI W^rASSENBERGI

III
MAROBODUUS

In Serenissimo & Potentissimo

LUDOVICO XIV.

Galliarum Rege,

R E D I V I V U S,

PRINCIPIBUS EUROPAE

DEMONSTRATUS.

ET;

SI ESSE PERSEVERET,

SUO ARMINIO

DESTINATUS.



Anno Domini M. DC. LXXII.

17. #
741.

f. 129.

146

MAROBODULLUS

LUDOVICO XIV.

Gallicum Regem
REDIVIVUS
PRINCIPIBUS EUROPAE
DEMONSTRATA

SI ESSE PERSERENT
LUDOVICUS
DESTINATUS

146
147



Anno Domini M. DC. LXXII

Z



EVER
MAR
In Ser
LUL



hominum post tal
et ipsum volum
delicato sine coron
rum Chericorum, B
quibus erendis
opponere hujus
et des potules ut
mum ac potentissim
DUM, in Serenissi
rum Regi REDIVI
tum demonstram
Patet illi sunt verba
DUDUS, genere
non ratione orba

EVERARDI WASSENBERGI
MAROBODUUS,

In Serenissimo ac Potentissimo
LUDOVICO XIV.

Galliarum Rege,
REDIVIVUS.



Onstitueram, *Galliã Verecundã* à me vulgatã, & *Aurifodinã Gallicã* à me *reseratã & Obstructã*, ad Illustrissimum, Reverendissimum, & Doctrinã verè Excellentissimum illum Principem FERDINANDUM, Episcopum Paderbornensem, Coadjutorem Monasteriensem, & Comitem Pyramontanum, suavissimo qui consortio Musarum ferè unicum aperuit asyllum, me transferre, quò, humillimum post talaris osculum, tantæ Celsitudinis sublimi sub iudicio iustum volumen aliquod, Germanicæ Nationis gloriæ dicatum, desiderato fine coronarem, & ætatis provectæ reliquum, illorum veterum Cheruscorum, Bructerorum, Chamavorum, & Romanorum antiquitatibus eruendis consecrarem; cùm hoc nobile huius operis, & opportunum huius temporis argumentum mihi incidit, ac persuasit, ad dies pauculos ut morarer, Vobisque Principibus Europæ clarissimum ac potentissimum in Bojohæmo quondam Regem MAROBODUUM, in Serenissimo ac Potentissimo LUDOVICO XIV. Galliarum Rege, REDIVIVUM, & si esse perseveret, suo Arminio destinatum, demonstrarom. Quippe *nulla festinatio* (Hist. lib. II.) (Vellei Paterculi sunt verba) *hujus viri mentionem transgredi debet.* MAROBODUUS, *genere nobilis, corpore prevalens, animo ferox, natione magis quam ratione barbarus, non tumultuarius, neque fortuitum, neque mobi-*

4
 lem, & ex voluntate parentium constantem inter suos occupavit Principatum: sed, certum imperium, vimque Regiam complexus animo, statuit, avocata à Romanis gente sua, eò progredi; ubi, cum propter potentiora arma refugisset, sua faceret potentiissima. Occupatis igitur, quos prædiximus, locis, finitimos omnes aut bello domuit, aut condicionibus juris sui fecit. Corpus suum custoditum, imperium perpetuis exercitiis penè ad Romane disciplina formam redactum, brevi in eminens, & nostro quoque Imperio timendum perduxit fastigium; gerebatque se ita adversus Romanos, ut neque bello nos lacefferet, & si lacefferetur, superesse sibi vim ac voluntatem resistendi declararet. Legati, quos mittebat ad Cæsares, interdum ut supplicem commendabant, interdum ut pro pari loquebantur. Gentibus hominibusque à nobis descendentibus erat apud eum perfugium, totumque ex malè dissimulato agebat amulum; exercitumque, quem septuaginta millium peditum, quatuor equitum fecerat, assiduis adversus finitimos bellis exercendo, majori quam quod habebat, operi preparabat. Eratque etiam eò timendus, quòd, cum Germaniam ad levam & in fronte, Pannoniam ad dextram, à tergo sedium suarum haberet Noricos, tamquam in omnes semper venturus, ab omnibus timebatur. Nec securam incrementi sui patiebatur esse Italiam: quippè cum à summis Alpiam jugis, qua finem Italia terminant, initium ejus finium haud multò plus CC. millibus passuum abesset. Hunc virum, & hanc regionem, proximo anno, diversis è partibus Tiberius Cæsar aggredi statuit. En Maroboduus à Vellejo Paterculo graphicè descriptus, quem nunc in LUDOVICO XIV. penè singulis ejusdem Vellei verbis Redivivum videamus.

MAROBODUUS, GENERE NOBILIS, CORPORE PRÆVALENS, ANIMO FEROX, Natione magis quam ratione barbarus, Romæ etiam adolescens, Strabone teste, Augusto gratus, & officii ac beneficiis ab eodem cultus, in illa urbe Orbis Domina, & apud Imperatorem illum Orbis Dominum, rem difficillimam, & verè arduam didicerat, imperare. Demus ævi nostri Maroboduus LUDOVICO Regi, genere nobili, corpore prævalenti, animo feroci, neque Natione neque ratione barbaro, encomium virtutis quod meretur. Ingenio celer, judicioque promptus, à quo regnare cæpit impiissima duella sustulit, ut generosissimum Regni sui sanguinem conceptos adversus hostes, in expugnationes urbium, velitationes, prælia servaret. Et gloriatur

Ma-

Maroboduus apud Tacitum, (Lib. II. Annalium,) *se duodecim legionibus petisum illibatam Germanorum libertatem conservasse*; LUDOVICUS certe bellorum omnium externorum victor, ac civilium triumphator, rem non tantum in tutò Gallicam, sed in summò collocavit, ac fortunam suam omnem Austriaco matrimonio prudentissimè, dicam melius felicissimè firmavit, tam regnandi quam bellandi solers, ut qui omnes atque raros imperandi numeros optimè se studuisse, indies sui status nimis politicâ ratione probat. Est enim Rex quàm magnarum virium & opum, tam & prudens, vafer, callidus, fortis, felix, animosus; & talem, qualis est, intelligit se esse, eò magis, uti reor, considerandus, an non etiam & formidandus? Vos videritis Europæ Principes, qui & Vestro singuli gubernaculo præestis.

Non tumultuarium, neque fortuitum, neque mobile, & ex voluntate parentium constantem inter suos occupavit principatum: sed, certum imperium, vimque Regiam complexus animo, statuit eò progredi, ubi, cum propter potentiora arma refugisset, SUA FACERET POTENTISSIMA. Ita de Maroboduo Vellejus: quàm verò non etiam *tumultuarium, neque fortuitum, neque mobile, & ex voluntate parentium constantem*, LUDOVICUS inter suos teneat principatum, orbi constat, ut qui unus habet, & ad libitum agit omnia, *certum imperium vimque Regiam*, non animo dumtaxat, sed jure hæreditariò *complexus*, Monarcha merus, absolutus, & perfectus. Et hinc facilè illi fuit *eò progredi ut arma sua faceret potentissima*: unde autem illi hujus potentix repentinæ tanta media, in Aurisodina mea Gallica demonstravi; è qua & Vobis serenissimis & prudentissimis Europæ principibus patescit, LUDOVICUM Regem, nisi maturè sapiatis, & emolumentis regionum ac ditionum Vestrarum ipsi prospiciatis, suâ solertiâ pecuniam Europæ omnem, commune Vestrum in exitium, unicam in suam Galliam (præsertim si binos illos suos amnes, ut cæpit, fossâ, ac mare mediterraneum & Oceanum, mutuo commerciorum beneficio conjungat) derivaturum, & inexauribili illo suo belli nervo, armis suis indies proficientibus, totius brevi Orbis Dominum futurum. Illius molimina terra marique non aspiciatis? Crescunt indies ipsius turmæ equitum, legiones & exercitus; prodeunt in Oceanum robore, mole, & machinarum bellicarum hæcenus inaudito numero, monstra navium; apparantur classès, & ad

militiam marinam Nobiles, epibatæ ad bella, Scholæ ad exercitia instruuntur; quibus *Marobodus* hic armis, non terrestribus dumtaxat, sed & maritimis potentissimus nonnunquam Africam & Americam; interdum Madagascarem magnasque insulas; quandoque & Orientis Indias, Magnumque Mogorem meditatur, dominio non modò Mediterranei totius maris, sed & Oceani intentus, futurus certò votorum suorum compos, si ille, ut cæpit, suâ, & Vos Vestrâ, ut cæpistis, Europæ Principes, ac Respublicæ, prudentiâ pergatis. Alto cachinno quondam Religiosum ordinis Prædicatorum Madriti omnes, & præsertim consilio Indico præfecti, derisere, qui, petita veniâ, mutato habitu, Provincias Unitas curioso oculo perlustrârat, visoque maritimo apparatu, & Vlissingæ, Middelburgi, Veræ, Zirikzææ, in Zelandia; & in Hollandia Rotterodami, Amstelædami, Enckhuifæ, Hornæ, Medenblici, aliisque locis, & maxime Serdami, structurâ navium bellicarum asseverabat fore, ut, nisi mature sibi prospicerent Hispani, Peruanam classem, Potosiano ære fartam, Batavi expugnarent: ac biennio vix elapso, Petro Petride Heinio Thalassiarcho, naumachia felici raptæ rates argento graves vaticinii veritatem implere. Et tamen si fatear Britannos, Batavos, Zelandos, disciplinâ, fortitudine, virtute, primos Orbis esse nautas; attamen & suis Galliæ epibatis abundant, qui parum, aut nihil forsan, accedente paulatim exercitio, Britannis, Zelandis, Batavis concedent. Et sic LUDOVICUS Rex, qui jam nunc in mari libero naves Hollandicas & Anglicanas, epibatarum Gallicorum quærendorum titulo, visitare audet, sibi adhuc biennio, suorum vicinorum per discordiam, relictus, non una classe potentissimus, meo iudicio maris Dominus, Oceano imperabit.

Occupatis igitur, quos prædiximus, locis, FINITIMOS OMNES AUT BELLO DOMUIT, aut condicionibus juris sui fecit. Ambitionem esse inexplebilem Alexander Magnus eò maximè probavit, quod, post Orbem cognitum ex parte dumtaxat subjugatum, jam incognitum sitiret, (Seneca de benef. lib. VII.) Nec hoc Alexandri tantum vitium fuit, quem per Liberi Herculisque vestigia felix temeritas egit, sed omnium quos Fortuna irritavit implendo. Cyrum & Cambysem, & totum regni Persici stemma percense, quem invenies, cui modum Imperii satietas fecerit? Qui non vitam in aliqua ulterius procedendâ cogitatione finierit?

rit? *Nec id mirum est. Quicquid cupiditati contigit, penitus haeritur & conditur; nec interest, quantum in id quod inexplebile est, congerat.* Subjugaverat integrum suis cum Marcomannis Maroboduus Marcomannus, Vicis ejusque Bojis, Veteribus Colonis, Bojohamiae regnum, cum extemplo omnes alios in vicinos versus, eosdem, ut Paterculus fatetur, *aut bello domuit, aut conditionibus juris sui fecit.* Nimirum eundem apud Senecam an non vidimus, (Epist. LXXII.) *aliquando missa à Domino, aperto ore, frustra captantem? Quicquid excepit, protinus integrum devorat; & semper ad spem futuri hiat.* Hunc certe Marobodui illius fuisse genium apparet: fuissentne autem è Galliae regibus etiam nonnulli qui Oresi huic succubissent? Carolus cognomento Calvus, è Ludovico Pio Magni nepos, & suorum fratrum natu minimus, è secundo matrimonio Judithae filius, Carolovingiis in Germania Imperium, & Arelatense regnum Germaniae; hujus autem Caroli posteritati Hugo Capetus ipsam Galliam subduxit. Inde Valesii ac Borbonii, genuini omnes familiam Capetini, Annam per Armoricam, Maximiliano primo Imperatori desponsatam, Britanniam totam Gallicam cum sponsa; & Mariae Burgundicae, provinciarum omnium paternarum haeredi unicae, Maximiliano pariter desponsatae, Burgundiae Ducatum integrum surripuere; cui accessere urbes Augustales, Metax, Tullum, Verodunum, Imperio subtraxerunt; deinde Alsatia, Brisacum, Philipsburgum. LUDOVICUS autem XIV. suis à Decessoribus occupatis, quos praediximus, locis, quò MAROBODUUS REDIVIVUS fortissimus & felicissimus appareret, *finitimos omnes quoque aut bello domuit, ut Bourburgum, Cortracum, Carolo-Regium, Athum, Bincum, Tornacum, Duacum, Infulas, Audenardam, Furnas, Lotharingiam, & Burgundiae comitatum integrum; quem tamen, si non libenter saltem reverenter, pace Aquisgranensi, contra pactorum fidem, munitionibus exutum, debilem & exhaustum reddidit: aut à patre domitos, pacem per Pyrenaeicam, & conditionibus juris sui fecit, ut Atrebatem, Damvillerium, Landracum, Theodonis-villam, Montem-medium, Avennam, Philippi-villam, Mariae-burgum, Quercetum, Grevelingam, Duinkerckam, Armenteriam, Lendium, Perpinianum Rouffionensem Comitatum, & Monacensem Principatum; ausus etiam, vigente pace, non conditionibus, sed armis Hannoniae nuper Montibus insidia-*

diari. Jam & ratione limitum de Dixmuda & Neoporto, ad Oceanum, adhuc Insulis; & de Imperialibus in Alfatia decem urbibus ad Rhenum, Ratisbonæ adhuc agit, instat, urget; qui & Poloniæ Regnum integrum, cum Magno Lithuania Ducatu, suo quoque sanguini propemodum vendicarat, procul Luparâ Domoque tantum non fortunatus. Quàm verò *Maximiliano Henrico* Archiepiscopo Electori Coloniensi, principi naturâ optimo, suum subsidium ut admitteret vâstrè non persuasit! quasi, ob unitarum Provinciarum Ordines ipsi imminentes (quod vero tamen, & vero simili procul aberat) suâ potentiâ necessarius, hâc astutiâ suâ civitatum omnium, & totius nunc regionis Dominus. Fertur autem **MAROBODUUS** hic **REDIVIVUS** nonnullas alias adhuc Provincias vicinas Rheno ut condicionibus, aut pari astu, juris sui faciat, laborare: viderint verò Serenissimi & Celsissimi illi Principes quantum Imperatoris & Imperii Majestate, suaque propria dignitate & fortuna salva possint, aut non possint, ne Respublica generatim tota, & speciatim sua detrimenti quid patiat.

Corpus suum custoditum, imperium perpetuis exercitiis panè ad Romanæ disciplinæ formam redactum brevi in eminens, ET NOSTRO QUOQUE IMPERIO TIMENDUM PERDUXIT FASTIGIUM. Quot stipatoribus, & quàm variarum gentium, Helveticæ, Scoticæ, siveque Gallicæ Satellitio & quot Prætorianorum equitum peditumque legionibus, latera sua Regia **LUDOVICUS** muniat, tonsoribus & lippis notum est: quàm verò *imperium perpetuis exercitiis panè ad Romanæ disciplinæ, illius quoque veteris, formam redactum, brevi in eminens, & nostro quoque imperio timendum perduxerit fastigium,* Vos omnes Europæ Principes, procul dubio, consideratis, & causas ob gravissimas, prudentiæ Vestræ lance, credo, indes ponderatis. Sanè argumenta illa omnia, quæ jam pridem Hispanica de Monarchia, in regni Galliæ regisque gratiam, Campanella sonuit, nunc Monarchiam adversus Gallicam, pro Hispania, in auribus omnium intelligentium tinnire, Europæ Vobis è Principibus nemo, reor ignorabit. In hac autem conjunctura temporum & rerum quid expediat Vos scietis. Olim quidem belli illius maximi Græcorum, quod Thucydides conscripsit, nullam aliam, immo genuinam fere unicum fuisse causam, potentiam Athenensium, vicinis omnibus, at Spartanis maximè formidabilem, affirmare,

mare,

mare, non dubitavit; (Lib. I. belli Pelopon.) Omnia enim ista, sunt ejus verba, una cum bello hoc acciderunt, cujus auctores fuerunt Athenienses; Pe'oponnensesque ruptis qua post Euboram captam inierant foederibus tri-centalibus. Cur autem ruperint, causas primum ac dissensiones scribendas statui nequi requirant aliquando unde corflatum sit tantum inter Græcos bellum. Nam verissimam quidem, sed minime sermone celebratam arbitrator extitisse causam, ATHENIENSES MAGNOS EFFECTOS, ET LACEDÆMONIIS FORMIDABILES, NECESSITATEM IMPOSUISSE BELLANDI. Lacedæmonii verò deliberantibus ac cunctantibus, procedens ad extremum unus ex Ephoris, seu Tribunis plebis, Schenelaiadas sic Laconicam ad eos orationem claudit: (Idem eodem libro) *Quamobrem Lacedæmonii è dignitate Spartana, BELLUM DECERNITIS; NEC ATHENIENSES SINATIS EFFICI MAJORES.* Quod Schenelaiadæ in Athenienses, id & Tiberio, ut post videbimus, in MAROBODUUM visum fuit; an non idem verò, secundum Lacedæmonios & Romanos, in REDIVIVUM sit agendum, Vobis ego Principibus resigno.

Gerebatque se adversus Romanos, ut neque bello nos lacefferet, & si lacefferetur, superesse sibi vim ac voluntatem resistendi declararet. LUDOVICUS hac generositate Maroboduum non tantum æquat, sed longè superat; nec expectat ut laceffatur. Sed continuò laceffit, provocat, & minatur nunc Hispaniæ, nunc Italiæ, nunc Germaniæ, nunc Hispano Belgio, nunc Provinciis Confœderatis; & ostendit arma sua jam Rheno, jam Schaldi, jam Mosæ, & interdum quoque montibus Pyrenæis, distinguendis in limitibus parum religiosus, ceu promptissimus ad bellandum. Sensit hoc Flandria, Hannonia, & Germania haud procul Bitso & Homburgo; imo, dies ante pauculos, Luxenburgum ac Trevirensis Electoratus, quas per Provinciâs, supercilio minaci extorta magis quam petita venia, Duce Criquo, tormenta bellica, legionibus stipata, ad Mosellam fluvium promovit, atque ratibus imposita, secundo anne Rheno, Bonnam vehi fecit, non absque summo Imperii nostri scandalo & contemptu, quod (prò dolor!) ob discordiam, scordiam, & abominabiles corruptiones, metui, irreverentiæ, & insultationibus MAROBODUI succumbit; qui jam aliquoties vim & voluntatem, non modò si laceffatur, resistendi, sed & provocandi ac laceffendi ipso

facto, in barbam Germaniæ & aliorum Regum Regnorumque, declaravit.

LEGATI, quos mittebat ad Cæsares, interdum ut supplicem commendabant, INTERDUM UT PRO PARI LOQUEBANTUR, quia, ut in paragrafo proximo sequetur, ex malè dissimulato emulum agebat. Animosus & gloriosus erat Maroboduus, quem LUDOVICUS tamen magnis suis animis, spiritibusque Regiis longè superat, ut qui se in Mundo nulli ut supplicem commendat, sed, prædecessoribus suis omnibus, cunctis se Monarchis parem, imo & superiorem Majestate ac dignitate Regia, si non jactat, arbitratur. Quàm fuerit PHILIPPO IV. Regi Catholico, post hujus sui que Legatorum, Londini in Anglia concursum, ratione præminentia, Madriti; & Romæ, ob Ducis Criqui Legati sui, & Consortis hujus, pedisequorum & Sardorum tumultuarii congressum, ALEXANDRO VII. Pontificum supremo gravis, Vos omnes Europæ Principes non latet. Et tametsi (ut & à Sancto Germano candidè fatetur) consensus Regum, Imperatoris Majestati primas cedat, quàm tamen suo pro Monarcha Cassanus, Arrhojus, Auberius, & Sorellius, periodos ambitiosas, arrogantes, & ineptas forment, Vos Regi Galliæ dignitate pares, cum nausea rifuque, Principes, procul dubio, legistis. HENRICUS III. non modò Poloniarum, sed & Galliarum Rex, hac in parte modestus fuit, & MAXIMILIANI II. Imperatoris, ipsa in ditione Rhedaque, Cæsarea, sinistrum latus minime recusavit, sed humanissimè implevit. Stephanum Vinandum Pighium, Hercule in prodicio, audiamus. Inopinatus, inquit, tanti Principis, tum è Polonia in Galliam abeuntis, adventus Maximiliano Cæsari renunciatur serius, cum vix bidui itinere abesset Vienna. Fit igitur mox apparatus in aula hospitii magno non indignus. Et cum jam antea diu Cæsar majores natu filios suos, Rudolphum Regem, & Ernestum Archiducem misisset in Bohemiam ad habenda Principum Comitatus, & ejus Regni res cum Ordinibus constituendas: duos minores Mathiam & Maximilianum, cum Oeconomo & magna Nobilitate confestim Regi misit obviam, qui eum deducerent, & traherent. Ipse postridie cum amico Comitatu universo volens occurrere, cum neminem filiorum apud se haberet, Carolum Principem (Clivensem scilicet) sororis filium, in eodem carpento sibi comitem adjunxit, & ultra Danubii pontes magna quadrigarum, equorumque pompa perrexit.

ubi secundo ferè ab urbe lapide Regem advenientem excepit quam humanissime, **ADSCITUMQUE SIBI A SINISTRIS** suo in carpento revexit ad urbem & in palatium. Et Henricum Regem, nullo Cæsarex exceptionis articulo offensum, Viennâ discessisse, ex ejusdem gratiarum actione, & humanissimâ abeuntis methodo patescit. Cum verò quatragesimum Rex Henricus (ejusdem Pighii verbis utor.) familiari & amica in conversatione Cæsaris transgressisset, iter susceptum prosequi cupiens, **GRATIIS ACTIS.** acceptâque licentiâ, discessit pridie Kalendas Julias, recta profecturus in Carnos, ut ex itinere Cæsaris quoque fratrem Carolum Archiducem salutaret, atque deinde per Forum Julii pergeret in Venetos & Italiam. En Henricum Regem optimè contentum: sed nimirum hoc argumentum in meis quatuor *Francie in Galliam redactæ* libris fufus tractabo, simulque manifestissimè probabo, Soli & unico Imperatori Nostro, ut Germaniæ & genuinorû Francorum Regi **CHRISTIANISSIMI** titulum, & Regi Catholico præminentiam supra Reges Galliz deberi: nunc in Maroboduo pergamus.

GENTIBUS HOMINIBUSQUE A NOBIS DESCISCENTI-
BUS ERAT APUD EUM PERFUGIUM, totumque ex male diffimulato agebat emulum. Hoc tum in Romanos, Italiam, Hispaniam, Galliam, Vindeliciam, Noricum, Pannoniam, Epyrum, Græciam, Macedoniam, Thraciam, totam Asiam Minorem, Armeniam, Syriam, Arabiam, Ægyptum, Africam, Numidiam, & Mauritaniam utramque possidentes; & à Rheno ac Danubio adusque Lybiam & Garamantas, & ab Euphrate & Araxe Atlanticum usque ad Oceanum imperantes, Maroboduus audebat. **LUDOVICUS** Rex Galliarum, nullos quoque Europæ Principes formidans, quibuscunque ab iisdem desciscentibus portus undique portasque pandit, ut qui & Lusitaniam, ab Hispania deficientem, contra Pyrenæicarum conventionum religionem, viris, viribus, & myriadibus auri fovit. Carolum Lotharingum, cum eo nuper, quem nescio per solæcismum, paciscentem, supra Principes sui sanguinis locum dedit; & Sabaudum, si ab Imperio ad se descisceret, eundem obtulit; & Serenissimos ac Celsissimos Principes ad Rhenu, consiliis periculosis, suam & subditorum, ut præ video, ad ruinam, legionibus oblati suarum partium nunc esse cogit; ac ditionum Imperii Romani urbes, oppida, castella, præsidio suo munit. **Ausimne dicere**
 quod

quod & matrimoniis nonnullos Germaniæ nostræ Principes ad se trahere conetur? Multos sanè blanditiis & pecuniis, suos per emissarios, continuò per Imperium vagantes, Maroboduus hac in parte animosior & ingeniosior, invitat. Miror autem quòd nemo Principum nostrorum cum Ariovisto nostro dicat, QUID AD ILLUM QUID AGAT NOSTRA GERMANIA? NUM EGO ME INTERPONO GALLIS? Sed nimirum hoc beneficii nostræ Germaniæ JUS ILLUD FOEDERUM Nostræ Germaniæ conciliavit, cujus licentiã nonnulli Principes propriam & Imperii totius in perniciem, abutuntur, quæ & libertatem aliquando nostram vereor, suffocabit; quam tamen ego rem tenerrimam Vobis Principibus resigno, atque alium ad paragraphum Marobodui descendo.

EXERCITUMQUE, QUEM SEPTUAGINTA MILLIUM PEDITUM, QUATUOR EQUITUM, FECERAT, *assiduis adversus finitimos bellis exercendo, majori, quam quod habebat, operi preparabat.* Romani rerum Domini, cum plerasque Orbis temperati gentes sibi subjecissent, ex iis generosissimos, ferocissimos, ac fortissimos ad arma viros seligebant, & exercitus ex illis invictissimos formabant. Maroboduus qui Romanorum, uti vidimus, ex malè dissimulato æmulum agebat, id etiam sequutus, è parentibus aut subiectis sibi gentibus, Suevis, Coldubis, Lujis, Zuinis, Gotonibus, Mugilonibus, Sibinis, Semnonibus, Longobardis, Suisque Marcomannis, ad bella promptissimos armavit; & exercitum illum, etiam Romanis formidabilem, *septuaginta millium peditum, quatuor equitum, assiduis adversus finitimos bellis exercuit; ac majori (ut ait Paterculus) quam quod habebat operi preparavit.* LUDOVICUS; hac in parte MAROBODUUS etiam REDIVIVUS, non modò suis è Galconibus, Armoricis, Normannis, Occitanis, Verbo, Gallis, sed & ex Allobrogibus, Helvetis, Hybernis, Anglis, Scotis, subactis Flandris, Atrebatibus, Nerviiisque; tum & vicinis longèque distitis è Germanis, exercitum ut jactant supra septuaginta milliam peditum, & viginti equitum coadunavit; *quem & assiduis adversus finitimos bellis, tum & Castellum apud sancti Sebastiani, Galeato Marti & Bellonæ sacrum, expeditionibus, oppugnationibus, ludicris seriisque præliis assuefecit, majorique, quam quod habet, operi sic preparavit, ut* JUNCTIS OMNIBUS jam se NON MINOREM, quin &

Unum

UNUM PAREM OMNIBUS, hieroglyphicis lemmatibusque, æreo machinarum gutturi infusus, palam ferat; cum quo etiam, Vobis & Principibus Europa, nemo unus concurrere contendit. Effet autem, non nemo esset qui auderet, si suo membra capiti firmiter adhærent. Quid autem porro MAROBODUUS IN LUDOVICO REDIVIVUS? E Vellejo videamus.

ERATQUE ETIAM EO TIMENDUS, QUOD, cum Germaniam ad levam & à fronte, Pannoniam ad dextram: à tergo sedium suarum haberet Noricos, TANQUAM IN OMNES SEMPER VENTURUS, AB OMNIBUS TIMEBATUR. Est Maroboduus hic in summò, quem Paterculus fatetur omnes, absque ullâ, etiam Romanorum, exceptione, timuisse, quoniam, ut postea sequetur, nec securam incrementi sui patiebatur esse Italiam. Stat nunc LUDOVICUS X. & IV. in pari gradu, Decessorum omnium suorum, à Carolo Crasso Imperatore, Germaniarum & Galliarum Rege, potentiâ, divitiis, & amplitudine, Regni sui longè maximus, ut qui, à Brisgovia, Philipsburgo, Rheno, Lotharingâ quoque, ad tempus saltem, incorporatâ, adusque Pyrenæos & Navarra Regnum, & propemodum à Bruxellis & Audenardâ adusque Goth Alaniam, sive Cathaloniam, numeris omnibus absolutissimus Monarcha imperat ac tot equitum peditumque millibus instructus, mente suâ Regiâ Orbem versat; estque eò etiam, cum Maroboduus, timendus, quod, cum Hispaniam ad levam, Germaniam ad dextram, & ut nunc vertisse faciem videtur, Britanniam, Hispano-Belgiû, Provincias Concederatas, & Aquilonem à fronte, & à tergo sedium suarum Genuam, Sabaudiam, Genevam, Helvetiam, & Alpes habeat, tanquam in omnes semper venturus, ab omnibus, timetur; felicissimus meo iudicio futurus Regum, si eo, quòd iustè possidet, contentus, latius regnare non ambiret, aut vires tantas in hæreditarios nominis Christiani hostes, Christianissimè moveret. Tunc profectò omnes illi, quos à levâ, quos à dextra, quos à fronte, & quos à tergo habet, tam sacri belli comilitones, arma sua, viresque suas, quas metu nunc armorum & viriam ipsius colligunt, ex parte singuli ad sacrum ejusdem laborum transire anhelarent, ratesque maritimas, transferendos ad exercitus, devotione æmulâ suppeditarent. Et quodnam esset Barbarorum Regnum, quænam Cidaris, quodnam diadema, & quænam fasciæ

Regales, quæ lilia non admitterent, vexillis innumeris translata, & in hostico plantata? Est trans mare Mediterraneum, suæ Galliæ vicina Africa, cladem nuperam Chicheranam quasi exprobrans, pyratarum excursionibus infamis, infidelibus à Mahometis affeculis, & imbellibus à Mauris atque Numidis infessa; quam olim Agathocles, Regulus, Scipio, Metellus, Marius, Pompejus, & Cæsar Julius, paucis legionibus instructi, magnis cladibus affecere, aut totam subegere; quidni itaque LUDOVICUS, ultra centum millium fortissimorum, Europæorum, exercitu stipatus, eam tantis viribus debellet, & Coronæ Gallicæ annectat? Sed, ut prævideo, vicinos in Christianos omnes terrorem spargens, dumtaxat eos suis armis irritabit, ac vicissim in se armabit; quorū ferè singulos paragrapho seorsim suo cōsiderare necessariū videtur.

Hispania, quam REDIVIVUS hic MAROBODUUS ad lavam habet, potentiā, opibus, amplitudine ac multitudine Provinciæ, Lusitaniam quoque si excipias, Regno Galliæ non cedit; ut sileam de annexis illi Neapoleos Siciliæque Regnis, Sardinia, Balearibus, atque Insulis re & nomine Fortunatis; tum & in America regionibus immensis; quæ & nuper metui non succubuit, sed nimio candore, ad eō legationibus & assurationibus persuasa nihil Galliam in se molituram, ut Castelli Roderici Marchioni toto triennio, & tum quoque, cum jam LUDOVICUS, suo cum exercitu, Belgium intrasset aliter monenti, fidem vix adhiberet; & hinc tot oppida, Castella, Urbes, Carolo-Regium, Athum, Binckum, Tornacum, Duacum, Cortracum, Audenardam, Insulas, ætate unā; & hyeme statim proximā Burgundiæ Comitatum perdidit; perditura, procul dubio, totum suum Belgium, nisi Rex Anglorum CAROLUS II. tres inter CAROLOS II. in Europa nunc regnantes, ætate primus, grassanti Galliæ opportunum tunc repagulum, Fædus Triplex prudentissimè objecisset. Tu enim Britanniarum potentissime Monarcha (liceat, post Regiam Tuam dexteram reverenti basio non temerata, Te compellare.) Tu MAROBODUO REDIVIVO huic, Magnū quoque Clodoveum quondam, Tholbiacensem post victoriam, exprimentis; &, prosperrimos armorum post successus, ejusdem Tecum nominis Hispaniarum Regi, ceu hujus temporis, (absque tamen Arianā labe.) Alarico imminente, totique Belgio inhiantis, Theodoricum XVI nostri sapientissimus, æquissimus,

& mo-

& moderatissimus fuisti; Tibique CAROLUM II. alterum, Suecorum, Gothorum, Wandalorum, tanquam *Hermenifridum*; Thoringorum; & Confoederatis Unitarum Provinciarum in Ordinibus, *Gundebaldum* quasi Burgundorum Regem sociasti, atque triplici hoc funiculo *Clodovei* manus hostiles ligans, ulterioribus à progressibus absterruisti. Totius historiarum similitudinem à *Bullieres* Soc. Jesu Presbytero mutuemus. Cum *Clodoveus* *Alarico* Visigothorum Regi, à ligeri ad Pyrenæos tum imperanti, immineret, *Theodoricus* Rex Italiae eum à belli consiliis deterruit, & ad amicos Reges scripsit, quorum officia, vel arma ad eam pacem, vel impetrandam, vel conficiendam opportunos judicavit. (Hist. Franc. lib. I. Num. XIII.) *Ad Gundebaldum* quidem, ait *Bullieres*, ut pro mutua affinitate, distractam concordiam Principum restauraret: ad *Hermenifridum* *Herulorum* Regem sive *Turingorum* paulò asperius, ut omisso bello & præciso, legatos ad Francum mittat, qui de pace agerent, & initum contra *Alaricum* fœdus, nisi amica lite contenderet. Francus, statim rescinderent: postremò ad *Clodoveum* ipsum, qui belli fons & cardo consilii, litteras dedit; quibus primùm veluti affinem dehortabatur à bello, quod suis populis grave, molestumque omni Gallie foret; tum admonebat & propemodum minabatur, si porro pergeret, sua cæterorumque Regum arma unà in eum consensione movenda, communemq. hostem omnium fore, qui uni amicus esse respueret. TOT PRINCIPUM CONSPIRANS ANIMUS CLODOVÆUM FREGIT; legati benevolè admissi; de pace actum est; & restituta *Visigotho* concordia. *Theodorico* glorie fuit, discussisse tantum belli apparatus, intercessisse Principum armis, ac pro totius Europe arbitro, vinculo pacis contraria studia animosque oppositos colligasse. Hæc armorum conciliatio tam molesta Franco quam jucunda cæteris fuit; quippe objectos suis votis aggeres, ereptam appetenti prædam, specie precum minas atq. imperium, detractamque metu victoriam, impotens animus adscribebat injuriæ. Tamen ne se unicum tam multis opponeret, cedendum temporis ratus, *Alaricum* distulit, nec omisit, statimque animum ad *Burgundicum* bellum applicuit. Quem vidisti & legisti *CAROLE* II. *Theodoricum*, Tu exhibuisti, in *Suionibus* atque *Batavis* *Hermenifridum* & *Gundebaldum* Tibi adjunxisti, pace *Aquisgranensi* *Burgundiarum* Comitatum Regi *Catholico* restituisti, reliquum *Hispano* *Belgii* inhiantis manibus eripuisti, tantum belli apparatus discussisti, armis Principum

intercessisti, Europæ arbiter fuisti, pacis vinculo contraria studia animosque oppositos colligasti, alienis votis aggeres objecisti, precum specie minas atque imperium miscuisti, Tuique & sociorum tuorum metu *Clodoveo* victoriam detraxisti. Et Tibi unico si libuisset fidelissimi tui Principis ablegatis Baronis de Risacour humillimè petitiæ gratiæ benignissimè suffragari, triplicis ejusdem fœderis beneficio Lotharingiam Duci Carolo, Ducemque Carolum suæ Lotharingiæ restituisles. Hinc potentiam Tuam ille suspicit, & Te in oculis & à fronte habens, Hispano-Belgium, quod totus degerit, quia totum non acquisivit, à Te ereptum sibi autumat. Et qui legionibus in immensum auctis Gunibaldo Tuo, Provinciarum Unitarum Reipublicæ, quia Sociæ, sic minatur, quantum non putes Tibi, triplicis illius fœderis auctori, suam quoque Franciam in titulo gerenti, indignari? Sed nimirum Te ille differt, quia terrâ accedere non potest, & mari potentiâ nõ æquat, verecundus & amicus necessitate, quem mediarum saltem, si non suarum, esse partium anhelat, ne unicus simul hostis incrementum ejus remoreris. Quia autem *Theobaldum* quem *Clodoveus*, post *Alaricum* invasit, destituisse *Theodorico* gloriæ non fuit, in Te Europæ oculi nunc vertuntur; & sera posteritas considerabit, qui Tu ponò *Theodoricum* agas, atque egeris; totamque sapientiâ, constantiâ, & fortitudine Tuæ gloriæ Majestatem impleas, & implearis. Et Tu vides, ut videt Orbis, cujus Tu æquilibrium, terrâ magnus, mari maximus, conservare potes, LUDOVICUM Regem, suorum septemdecim in Provinciis votorum compotem, eisdem ad extremum cum Mundo terminus habiturum.

Tamet si verò MAROBODUUS hîc REDIVIVUS Hispaniam ad Izvam; Britanniam, Hispano-Belgium, & Provincias Conscederatas à fronte habeat, habet & Germanias ad dextrâ, & tanquam in omnes semper venturus ab omnibus timetur. Est enim sui obtegens, simulare doctus, occasionibus intentus; & secundum ipsiusmet hic vel illic aridentis Fortunæ vultum facillimè se vertit. Habet Brisacum, Alsatiam, Philipsburgum, Nôvesium, Ordینگam, Cæsar's Insulam, Dorstenam, & ipsi Colonix Agrippinensi, sub Maximiliani Henrici Archiepiscopi Electoralis nomine totus imminet, expugnata, procul dubio, ipsiusmet Dominus futurus, nudumque Archipræsuli titulum relicurus. Et
tum

tum sola Ehrenberti Petra, & Urbs unica Argentinensis, spes illius ad Rhenum & Mosellam amnes remorantur. Quid enim, post Coloni- am, Wormatia, quid Spira, quid Moguntia, Bingium, Confluentia, Tre- viri, Andernacum, & Bonna ipsa? Et cum Lotharingiam, si res illius feliciter succedant, nunquam Duci, nunquam Imperio sit redditurus; & Burgundiæ Comitatum, munimenta ejus destituendo, tormenta bel- lica abducendo, populum exhauriendo, semper obnoxium armis suis fecerit, quàm procul ab Aufrasia desiderata aberit? Sed ulterius cogitationes suas ille mittit, & Imperium Romanum, si non sibi, suo saltem Delphino ambit; vix usquam potentior quàm discordi in Germania futurus, si CAROLI II. Hispaniarum & Britanniarum Reges, & Uni- tarum Provinciarum Ordines, in Oceano classibus suis validi, se non moverent, nullis tum in littoribus arma sua relictaurus, & formidandis illis viribus suis integris uno in Imperio usus.

Quæ porò nostra de Germania hic dici possent, ac deberent, ea jam ab annis tribus & viginti, in *Parenti mea ad Germanos, pro commu- ni Patria, libertate, gloriâ tuenda*, popularibus meis fusius inculcavi, ad quam eosdem ter reculam, & jure merito nunc recudendam, ac dili- gentissimè legendam, ne dicta dicere, & ingesta repetere sit necessari- um, remitto.

Sed & à tergo sedium suarum habet Genuam, Sabaudiam, Gene- vam, & Helvetios, qui quonam jurisjurandi Sacramento tutiores esse possint Hispano-Belgis non satis video. Et quidem Galliarum Reges aliquando Genuam habuisse me non fugit; atque etiam non latet Velle Galliam, quicquid semel annexum Coronæ fuit, id avelli per le- gem Salicam non posse. Cavete itaque Vobis Januenses, & cum Jano Vestro, non bifronte tantum sed quadrifronte, octo oculis vigilate. Neque Gallia, quæ, quicquid Caroli Magni quondam fuit, ceu hære- ditarium sibi repetit, Sabaudiam excludit; minimè Genevam, in quam oculos aliquoties conjecit. Helvetiam verò partem Imperii fuisse Ca- rolini, & ad Coronam lege Salicâ spectare, si quis in dubium vocare vellet, Cassanum, Arrhojum, Auberium, aliosque Gallicos scriptores, suorumque Regum adultores consulat, plenis è voluminibus, modò fidem adhibere, sibi que persuaderi velit, inflatas & ampullatas per pe- riodos ediscet. Et an excidit Vobis Helvetis, *Franciscum I. cæsis vobis*,
C

Ye-

Vestra de Helvetia invadenda deliberasse? Vestras Alpes, Vestrasque fauces impenetrabiles non judicavit. Miror autem, nec parum miror, Vos Ligures, Allobroges, atque Helvetos, vicino illi Vestro MAROBODUO, Vobis omnibus imminente manus adhuc famulas & juventutem Vestram ad servitium commodare. Militiam suam disponendi ille didicit veteribus à Romanis, qui Germanos in Asiam, Africam, ad Araxem, Euphratem, Nilum; & Asiaticos, Thebæos, Afros, Numidas, & Mauros, ad Danubium Rhenumque Nostrum, adversus Germaniam & Germanos, transferebant; quam eandem artem & LUDOVICUS probè callet, qui non Liguribus, Allobrogibus, & Helvetis, adversus Ligures, Allobroges, Helveticos sed iis alio translatis, Britannos, Hybernos, Scotos, Germanos, suosque Gallos adversus Vos, juventutis Vestræ robore jam exhaustos ducet. Callidissimus enim, Martisque artium peritissimus est MAROBODUUS hic REDIVIVUS, ut fuit & defunctus, quod è Vellejo Paterculo patescit, è quo eundem porrò videamus.

NEC SECURAM INCREMENTI SUI PATIEBATUR ESSÈ ITALIAM: quippe cum à summis Alpium jugis (quæ finem Italia terminant) initium ejus finium haud multò plus CC. millibus passuum abesset. Italiam pro Romanis hic accipit Vellejus, quod illi plerasque illius regionis Urbes Civitate Romanâ jam donassent, & Italiæ caput Roma esset, quam & securam sui esse incrementi *Maroboduus* non patiebatur: & an patietur LUDOVICUS? Auberius Romam ipsam primum Regni Francici Episcopatum, & Pontificem Romanum primum Episcopum Coronæ facit; totamque Italiam, post Longobardos, horumque Regem Desiderium, nationis illius ultimum, à Carolo Magno debellatum, & Leodium translatum, Gallorum Regibus accessisse, ab iis nunquam lege Salica divellendam, semperque repetendam asserit. Neque crediderim Vobis Italis Andegavensium, & *Ludovici XI.* expeditiones, Vobis omnibus suspectas, & Florentinis manifestè minitantes, excidisse; Vosque Venetos Adduanae cladis haud immemores etiam num esse. Et LUDOVICUS, ratione Castri Farnesii adherens, Romanæ Sedi semper gravis, promptum lapidem offensionis perpetuò manu Regiâ suâ versat, occasione optimæ intentus, quam non adeo in Farnesiorum quàm propriis emolemunt & incrementi sui gratiam.

venatur. Vos autem ingeniosi Itali, prudentes Veneti, providi Romani, sapientes Florentini, quid nunc agitis? an dormitis? Stat MAROBODUUS tot millium exercitu stipatus, & tanquam in omnes venturus ab aliis omnibus timetur; & Vos absque ullo delectu militum torpetis, cum ille tamen securam sui incrementi non patiatur esse Italiam. Transmontani diversa illi foedera objecerunt; Vos ne Italiam quidem Vestram unione aliquâ necessaria colligastis. Quid si totis viribus in Vos se vertat, quisnam obligabitur Vobis subvenire, nisi ob interesse proprium Hispanus, & fortassis Imperator, si feudorum suorum illerationem habere velit? Vos autem inveniet & invadet imparatos. Sed nimirum sacrosanctè promisit Vobis amicitiam, pacem, & vicinitatis optimæ, nec violandæ, religionem: promiserat & Hispanis ac Hispano-Belgis, quorum tamen multæ urbes expugnatae illi serviunt & subsunt.

Essetne verò in MAROBODUO hoc REDIVIVO cujus quoque Daniæ, Sueciæ, Poloniæ interesset? Tametsi ille regionem magis quam religionem curet, ut qui munimenta urbium A catholicarum destruit, & Ecclesias A catholicis conservat, nuper tamen eum summo Pontifici scripsisse volunt; se exercitum centum quinquaginta millium virorum in hæreticos ducturum, quo nomine quantumvis Calvini placitis inhærentes quasi indice demonstret, tamen & Lutheri dogmata sequentes non excludit. Et non ita pridem ille ficti nominis *de Monzambano*, inverecundiâ suâ Orbi notus, secundum ambitionem Gallicam, varicinari non erubuit, Reges Daniæ fortassis Galliæ Monarcharum clientelam, non usque adeo abhorrituros, quod abominabile Tu prognosticon CHRISTIANE V. omnino nulli ratione Daniæ & Norvvegiæ nisi Numini supremo subdite, & veterum Nortmannorum, partem Galliæ saltem adhuc in nomine possidentium, gloriæ Restaurator, argumento aliquando forti, & ego in meis quatuor *Francia in Galliam redactæ* libris, penna mea Majestati Tuæ devotissima, fusius refutabo. Et Tu CAROLE II. Suionum, Gothorum, & Wandalorum Rex, quantum LUDOVICO X. & IV. fidere audebis, qui ipsiusmet Archiepiscopatum in Germania Bremensem, & vicinum illi Episcopatum Ferdensem Westphalica pace possides; & Pomerania citeriori gaudes, pro qua æquivalens Elector Brandenburgicus Magdeburgensem Archiepiscopatum, & Episcopatus Halberstadiensem & Minden-

densẽm obtinet? Certus esto Romæ abiter quàm Holmiæ & Berolini suos per ablegatos atque litteras loquetur. Jam Poloniam Catholicissimam indignatur *Samonem* mercatorem aliquando Francum (à quo nomen *Samigibia* etiamnum perseverat) Regem admisisse, & sanguinis sui Regii magnum Principem nuper respuisse; &, profusos tot aureorum post milliones,

Manet alta mente reposita

ELECTO MICHAELIS.

MAROBODUUS REDIVIVUS itaque, tanquam in omnes semper venturus ab omnibus timetur, aut certè timeri potest, ab Italia, Helvetia, Hispania, Hispano-Belgio, Anglia, Provinciis Confœderatis, Germania superiori, Dania, Suecia, Polonia: quid ergo? quid consilii? Videamus è Paterculo quid egerint Romani.

HUNC VIRUM, & hanc regionem, DIVERSIS E PARTIBUS Tiberius Cæsar AGGREDI STATUIT. Romani totius Orbis, extra controversiam, tum potentissimi, sic armatum tamen *Maroboduum* non ferebant, hostemq; certum quam amicum dubium malebant; qui tantus ipsis erat, ut diversis è partibus, & duodecim quidem legionibus, aggrediendum judicarent, tametsi, aliter disponente tunc *Fortuna*, evaserit eorum manus, ut è Paterculo patescit. Sentio *Saturnino*, inquit, mandatum, ut per *Cattos*, excisis continentibus *Hercinia Silvis*, legiones *Bojohæmum* (id regioni, quam incolebat *Maroboduus*, nomen est) ipse à *Caruntis*, qui locus *Norici Regni* proximus ab hac parte erat, exercitum, qui in *Illyrico* merebat, ducere in *Marcomannos* orsus est. Rumpit, interdum moratur proposita hominum *Fortuna*. Preparaverat jam *Hyberna Cæsar* ad *Dannubium*, admotoque exercitu non plus, quam quinque dierum iter, à primis hostium, *Saturninum* admoventi placuerat. Penè equali divise intervallo ab hoste intra paucos dies in prædicto loco cum *Cæsare* junctura erant, cum univèrsa *Pannonia*, insolens longæ pacis bonis, & adulta viribus *Dalmatia*, omnibus tractus ejus gentibus in societatem adductis, ex instituto armis corripuit. TUM NECESSARIA GLORIOSIS PRÆPOSITA: neque, tum visum, abdito in interiora exercitus, vacuum tam vicino hosti relinquere *Italiam*. Ex hisce liquet *Maroboduum* in Romanos nil movisse, causamque bellinullam aliam hos habuisse, quam quòd ille sic armatus securam incrementi sui *Italiam* non pateretur; quia & *Vellejus* disertè asse-

afferit Tiberium *necessaria gloriosis preposuisse*. Priusquam tamen Tiberius exercitum in Pannoniam, & Dalmatiam rebellum educet, *Maroboduus*, suis armis irritatum, pace obstrinxisse, ex hisce Taciti manifestum est: (Lib. II. Annal.) *Crebris epistolis Tiberius monerat* (Germanicum nimirum) *rediret ad decretum triumphum*. Satis jam eventuum, satis casuum: prospera illi & magna praelia eorum quoque meminisset, quæ ventis & fluctibus, nullâ Ducis culpâ, gravia tamen & seve damna intulissent. Se novies à Divo Augusto in Germaniam missum, plura consilio quam vi perfecisse. Sic *Sugambros in deditionem acceptos*, sic *Suevos*, **REGEMQUE MAROBODUUM PACE OBSTRACTUM**. Sunt hæc clarissima; sed & notanda quæ mox subjungit: *Posse & Cheruscas, ceterasque rebellium gentes, quando Romana ultioni consultum est, INTERNIS DISCORDIIS RELINQUI*. Callidissimus Imperator, Pannoniis Dalmatisque rebellantibus, pacis legibus obstrictum *Maroboduum* magis distulerat quàm omittebat; & hinc, Germanico Suetis à legionibus abstracto, hæc discordias internis fovit, & *Arminium in Maroboduum* excitavit, quia (ut post videbimus) *in destruendo eo consilia sua exultit*. *Arminius* itaque in *Bojohæmum* movens, *Somnonos* & *Lombardos* à *Maroboduo* deficientes sibi adjunxit, struxit aciem, & ambigè pugnavit: Sed *Maroboduus*, ut ait Tacitus, *castra in colles subduxit*. *Id signum percussit fuit: & transfugis paulatim nudatus in Marcomannos concessit, misitque legatos ad Tiberium oraturos auxilia*: Sed frustra, Tiberius enim in evertendi *Marobodui* calliditate perseveravit. (Lib. II. Annal.) *Dum ea estas*, ait Tacitus, *Germanico plures per Provincias transigitur, haut leve decus Drusus* (à Tiberio ad hoc missus) *quasi vit INJICIENS GERMANOS AD DISCORDIAS, UTQUE FRACTO JAM MAROBODUO USQUE IN EXITIUM INSISTERETUR*. Stante adhuc & regnante *Maroboduo* armato Tiberius quiescere non poterat; & *Maroboduus* suo in fastigio constitutus violentiâ suâ fecerat, ut amicos paucissimos haberet, & ultores injuriarum sibi illatarum ipsi non deessent. *Erat itaque inter Gothones nobilis juvenis nomine Catualda, PROFUGUS OLIM VI MAROBODUI, & tunc dubiis rebus ejus ULTIONEM AUSUS*. *Is validâ manu fines Marcomannorum ingreditur; corruptisq; primoribus ad societatem, inrumpit Regiam, Castellumque juxta suam*. *Veteres illic Suevorum præda; & nostris & Provinciis licet, ac*

negotiatores reperti, quos jus commercii, dein cupido augendi pecuniam, postremum oblivio Patrie suis quemque ad sedibus hostilem in agrum transtulit. MAROBODUO UNDIQUE DESERTO, NON ALIUD SUBSIDIUM QUAM MISERICORDIA CÆSARIS FUIT. Transgressu Danubium, quæ Noricam Provinciam præfuit, scripsit Tiberio, non ut profugus aut supplex, sed ex memoria prioris fortuna: nam multis nationibus clarissimum quondam Regem ad se vocantibus, ROMANAM AMICITIAM PRÆTULISSE. Quod Maroboduus hic gloriatur, Romanam se amicitiam prætulisse, id tam est certum, ut & Arminius ante prælium illi exprobrarit, (Tacitus Lib. II. Annal.) per dona & legationes petivisse fœdus, proditorem Patrie, Satellitem Cæsaris, haud minus infensis animis exturbandum, quam Varum Quinçtilium interfecerint. Et ipse Tiberius agnoscit: responsum enim à Cæsare, ait Tacitus, tutam ei honoratamque sedem in Italia fore, si maneret: sin rebus ejus aliud conduceret; abiturum sive quâ venisset. Hæc eò retuli, luce meridianâ clarius ut appareret, Maroboduum Romanos (quemadmodum & supra tetigi) armis minimè irritasse; & Tiberium causæ nihil, eum ut everteret, habuisse, quàm quòd septuaginta quatuor millium exercitu armatum non pateretur. Quantus enim ille Tiberio Imperatori fuerit Tacitus non tacet. Ceterum apud Senatum, inquit, disseruit, non Philippum Atheniensibus, non Pyrrhum, aut Antiochum, populo Romano perinde metuendos fuisse. Exstat oratio quæ magnitudinem viri, violentiam subiectarum ei gentium, & quàm propinquus Italia hostis, SUAQUE IN DESTRUENDO EO CONSILIA EXTULIT. At quis tandem illius finis? ex eodem Tacito videamus. Et Maroboduus quidem, ait, Ravenna habitus, si quando insolescerent Suevi, quasi rediturus in Regnum ostentabatur: Sed non excessit Italia per duodeviginti annos, CONSENSITQUE MULTUM IMMUNITA CLARITATE, sob nimiam vivendi cupidinem. Hæc omnia quæ convenient, aut convenire possint LUDOVICO Regi Galliæ nunc dispiciendum.

Vidimus MAROBODUUM hunc REDIVIVUM, cum & è diversis partibus oppugnandum se timeret, pace Aquilgranensi obstrictum. Vidimus & Lotharingæ Ducem Carolum, Catualdam velut Nostri temporis, vi LUDOVICI Regis suâ Provinciâ ejectum profugisse. Videmus & Monarcham illum potentissimum, post pacem etiam

etiam Aquisgranensem, & Lotharingâ exutum *Carolus*, exercitibus in
 immensum auctis, armatum stare; quod ut Tiberius suo avo vidit, *Ar-*
minium illi opponendum, & per hunc frangendum, prudentissimè ju-
 dicavit. Hunc autem callidissimum Imperatorem, iisdem hisce re-
 rum in conjuncturis, sequi an non expediat, ego Europæ Vobis Princi-
 pibus relinquo, quibus eum imminere singulis manifestum est, cum
 LUDOVICUS *Marobodu* defuncto non dumtaxat sit prudentior &
 potentior; sed & audentior, quemadmodum Hispania, Belgium, Bur-
 gundia, Lotharingia, expertæ sunt; & Unitarum Provinciarum Ordines,
 ut apparet, brevi, & post hosce (nisi ambitionis, indies proficientis,
 cursus objecto obice, sufflaminetur) omnes alii experientur. Quid
 ergo? Imperii Romani Ordines, qui, jam ab annis Ratisbonæ congregati,
 Germaniæ securitati studere, & exercitus conscribere, conceptæ
 militia Præfectum Generalem Generosissimum & fortissimum illum
 Principem *Fredericum* Marchionem Durlacenum, nuper ejusdem Im-
 perii armorum, cum celebratissimo illo Principe *Christophoro Bernar-*
do, Monasteriensium & Corbejensium Antifite, Directorem, rectè cre-
 avè e: quid si autem Sacratissimus Imperator LEOPOLDUS, Impe-
 rii Romani non Tiberius sed Augustus, suorum & Imperii armorum
 Generalissimum FREDERICUM GUILIELMUM Marchionem,
 Brandenburgicum nominaret, nostri temporis qui Arminium imple-
 ret? Per eundem fanè turbatum nuper Aquilonem fortiter & sapien-
 ter composuit & pacavit: & Electoris Serenissimi & Potentissimi, ob-
 ditiones in Imperio Romano hæreditarias ipsius plurimas, multum in-
 terest, ne pax Germanica & Westphalica detrimenti quid patiatur. Ha-
 bet ille amicam modò sibi Sueciam, Daniam obligatam, Poloniam fa-
 ventem, Britanniam Affinem, Unitarum Provinciarum Ordines, se-
 ambientes, & Augustam Domum, tota cum Germania & Hispania, in
 se propensam. Et jam magnificas emisit voces Octoviro animosissi-
 mo seque dignas, hujus temporis & ARMINIUM; Germanicæ nati-
 onis, existimationis, securitatis, libertatis, gloriæ CUSTODEM; læse-
 que publicæ tranquillitatis VINDICEM spirantes. Hoc fanè, hoc
 ARMINIO in MAROBODUUM movente, erunt Semnones & Lon-
 gobardi qui deficiant, ad eum transeant, & *Catualdo*, vi MAROBODUI
 profugi, qui, dubiis rebus ejus, ultionem aufint. Et tametsi futuris de
 COR-

525

24

Maroboduus Redivivus.

contingentibus determinatam veritatem non habeamus, ut qui sacram Jovis supremi diphtheram non inspeximus, jugem tamen per experientiam nobis liquet, rerum insolentium felicitatem ad extremum esse infelicissimam solere. Et MAROBODUUS hic REDIVIVUS amicos etiam tota in Europa habet paucos, & quò felicior ille fuerit, habebit pauciores: necesse est enim tandem UT OMNES TIMEAT QUI AB OMNIBUS TIMETUR. LUDOVICUS sanè Rex Galliarum, ut ut fortissimus, prudentissimus, potentissimus, hæcenus & felicissimus, multum me hercule perpendum, & metuendum in MAROBODUO exemplum habet, qui ævo suo Regnis alienis imminens, fractus per ARMINIUM, & per *Casualdam* pulsus, suo excidit, CONSENSITQUE MULTUM IMMINUTA CLARITATE; quia una tantum, dumtaxat UNA ADVERSUS FORTUNAM EST SECURITAS NON NIMIUM EAM EXPERIRI,

F I N I S



s, & q̄i augmenta
re d'avançe. Et tout
uvé, que l'excellece
yage de Couge chez
numeuns des Emba-
sades de la marine.
le contraire de tout ce



73.



